

M. CICERONIS TULLI ORATIO IN L. CATILINAM PRIMA

IN SENATU HABITA A.D. VI. ID. NOV.

1 [1] Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam
2 furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?
3 Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor
4 populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus
5 habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua
6 consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri
7 coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte
8 egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum
9 ignorare arbitraris?

10 [2] O tempora, o mores! Senatus haec intellegit. Consul videt; hic tamen
11 vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii
12 particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum.
13 Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furem ac
14 tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem
15 oportebat, in te conferri pestem, quam tu in nos [omnes iam diu]
16 machinaris.

17 [3] An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum
18 mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit;
19 Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos
20 consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius
21 Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista
22 quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem
23 perniciosum quam acerbissimum hostem coercent. Habemus senatus
24 consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae
25 consilium neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte, consules
26 desumus.

27 [5] Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus
28 conlocata, crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem
29 castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in
30 senatu videmus, intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae
31 molientem. Si te iam, Catilina, comprehendendi, si interfici iussero, credo, erit
32 verendum mihi, ne non potius hoc omnes boni serius a me quam
33 quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iam pridem
34 factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor ut faciam. Tum
35 denique interficiere, cum iam nemo tam inprobus, tam perditus, tam tui
36 similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur.

37 [6] Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives, et vives ita, ut
38 [nunc] vivis, multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te
39 contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non
40 sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient. Etenim
41 quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris
42 obscurare coepitus nefarios nec privata domus parietibus continere voces
43 coniurationis tuae potest, si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam
44 istam mentem, mihi crede, obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris
45 undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia; quae iam mecum
46 licet recognoscas.

[Cicero provides to the Senate a detailed account of Catiline's plans from the information learned through his agents and, in particular, through Fulvia, the mistress of one of the conspirators].

47 [8] . . . Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem; iam
48 intelleges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei
49 publicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios—non agam obscure—
50 in M. Laecae domum; convenisse eodem complures eiusdem amentiae
51 scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? Convincam, si negas.
52 Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt.

53 [9] O di immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus? quam
54 rem publicam habemus? Hic, hic sunt in nostro numero, patres conscripti,
55 in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro
56 omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio
57 cogitent! Hos ego video consul et de re publica sententiam rogo et, quos
58 ferro trucidari oportebat, eos nondum voce volnero! Fuisti igitur apud
59 Laecam illa nocte, Catilina, distribuisti partes Italiae, statuisti, quo
60 quemque proficiisci placeret, delegisti quos Romae relinqueres, quos tecum
61 educeres, discripsisti urbis partes ad incendia, confirmasti te ipsum iam
62 esse exiturum, dixisti paulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego
63 viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent et se
64 illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos esse
65 pollicerentur.

66 [10] Haec ego omnia vixdum etiam coetu vestro dimisso comperi; domum
67 meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi, exclusi eos, quos tu ad
68 me salutatum mane miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego iam multis
69 ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram. Quae cum
70 ita sint, Catilina, perge, quo coepisti, egredere aliquando ex urbe; patent
71 portae; proficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Manliana castra
72 desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, si minus, quam plurimos;
73 purga urbem. Magno me metu liberabis, dum modo inter me atque te
74 murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes; non feram, non
75 patiar, non sinam.

[Cicero details Catiline's prior crimes, public and private, his unsuccessful attempts to attain high office, and his plans for the conspiracy. He urges Catiline to flee the city while he is able].

76 [20] Quae cum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes,
77 abire in aliquas terras et vitam istam multis suppliciis iustis debitisque
78 ereptam fugae solitudinique mandare? 'Refer', inquis, 'ad senatum'; id

79 enim postulas et, si hic ordo sibi placere decreverit te ire in exilium,
80 obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis
81 moribus, et tamen faciam ut intellegas quid hi de te sentiant. Egressus ex
82 urbe, Catilina, libera rem publicam metu; in exilium, si hanc vocem
83 exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid
84 animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas
85 auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis?

86 [21] At si hoc idem huic adulescenti optimo, P. Sestio, si fortissimo viro, M.
87 Marcello, dixisset, iam mihi consuli hoc ipso in templo iure optimo
88 senatus vim et manus intulisset. De te autem, Catilina, cum quiescunt,
89 probant, cum patiuntur, decernunt, cum tacent, clamant, neque hi solum,
90 quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima, sed etiam illi
91 equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives,
92 qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia
93 perspicere et voces paulo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te
94 iam diu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae
95 vastare iam pridem studies, relinquenter usque ad portas prosequantur.

[Cicero continues his attack on Catiline, explaining that he will not forcibly drive Catiline from the city while he still has supporters in the senate.]

96 [32] Quare secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum
97 congregentur, muro denique, quod saepe iam dixi, secernantur a nobis;
98 desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris
99 urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad
100 inflammmandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte unius
101 cuiusque, quid de re publica sentiat. Polliceor hoc vobis, patres conscripti,
102 tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem,
103 tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis
104 consencionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, inlustrata,
105 oppressa, vindicata esse videatis.

106 [33] Hisce ominibus, Catilina, cum summa rei publicae salute, cum tua
107 peste ac pernicie cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere
108 parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tu,
109 Iuppiter, qui isdem quibus haec urbs auspiciis a Romulo es constitutus,
110 quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius
111 socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita
112 fortunisque civium omnium arcebis et homines bonorum inimicos, hostis
113 patriae, latrones Italiae scelerum foedere inter se ac nefaria societate
114 coniunctos aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

